

jectio, si habeamus ideam Dei, nos Deum comprehensuros, nullius valoris agnoscitur. Potest enim esse vicarium aliquid, quod principale suum non adæquat sive repræsentat in omnibus, sed in quibusdam tantum: unde Cartesius Respp. quint. ad Tert. in fine: *Non est de ratione imaginis, ut in omnibus eadem sit cum re cuius est imago, sed tantum ut illud in aliquibus imitetur.* Adde illud Arriagæ: *non esse de ratione exemplaris, ut fiat opus ad imitationem rigorosam illius.*

27. Quintò intelligitur, bene distingui ideas in antecedentes & consequentes art. 8. 12. 22. sive in archetypas & ectypas eodem sensu Logicæ meæ parte quarta quæst. 27.

28. Sextò patet, meritò rebus causalitatem & productionem attribui in ordine ad ideas, per quas repræsentantur. Dicitur enim art. 6. *Ens fundamentale per ideam à se emanantem cognosci,* art. 7. dicitur illud *fundamentum & causa ideæ,* art. 15. *res similes unam ideam producere,* art. 21. *speciem à rebus esse &c.*

29. Septimò liquet, quas rationes essendi seu duplex esse in ideis distingui, & quomodo art. 9. 10. 13. 30. Octa-